



Q. D. B. V.

DE

VVITTEBERGA

DISSERTATIO I. MATHEMATICA,

Quam

P. P.

PRAESES

M. GEORGIUS GVILIELMUS

KIRCHMAJERUS,

&

RESPONDENS

ERNESTUS CHRISTIANUS

SCHROEDTERUS,

VVitteberga-Saxones,

In Auditorio Minori,

Ad diem XXV. Aprilis clc lcc XCVI.

VVITTEBERGAE,

EX FORMIS CHRISTIANI SCHRÖDTERI, ACAD. TYP.

PROG. D. B. N.

DE

WITTBERGA

DISSERTATIO I. MATHEMATICA

Quam

P. P.

PRÆSES

M. GEORGIUS GUILJELMUS

KIRCHMANN



ERNESTUS CHRISTIANUS

SCHROEDTERUS

Wittberga Saxoniae

In Auditorio Minoris

Ad diem XXV. Aprilis ch. sc. MDCXCVI.

WITTBERGA

EX FORMIS CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.

PRAEFATIO.



Vid Patriæ bonus quisque civis debeat, ex lege animis inscripta constat: quippe quæ omnes omnium complectitur charitates. Neminem igitur oportet mirari, si VVITTEBERGAE, almæ matris, gloriæ velificemur, laudesque, pro tempore ac re, expromamus, & memoriæ prodamus. Ecquis in terrarum orbe locus, quò illius fama non pervaserit? ubi emendatissimorum sedes ac domicilium sacrorum reperitur. Accedit, quòd ex Academia, tanquàm ex equo Trojano, innumeri prodierint prodeantque eruditionis præclaræ ac doctrinæ ceterarumque virtutum laudibus ornati. Proinde constituimus, expressam ejus effigiem, quantum ingenii permittet imbecillitas, ostendere. Per scribemus enim reliquis Dissertationibus ea, quæ, in tanta monumentorum incorruptorum inopia, maximo conquiri potuerunt studio. Quocirca & Historiæ, & Physicæ, subsequantur observationes, Magnum equidem & arduum negotium aggredimur, quod vix vires sustinebunt tenues; sed omnis consilii ac incepti ratio DEI nititur auxilio. Ut totamente insistamus, suadent maximi nominis Viri, quorum auctoritatem negligere religioni ducimus.

I. VVITTEBERGAE magnum seculo superiore nomen fuit, ac plerisque ferè pro partibus numerisque absoluto habitum castro, in primis eam ob causam, quòd invicti animi robore ac magnitudine præditus CAROLUS V. profligato ad *Mülbergam Saxonum* fœderatorumque exercitu captoque EL. Principe JO. FRIDERICO, victricibus oppugnare illud armis prorsus dubitavit. Multo quoque sanguine stetit expugnatio, nisi, aliam consilii rationem iniens, Nobilium tentasset pietatem Civiumque, qui vitio suo de vita illum in discrimen vocari nolebant. Cunctis, qui durum Patriæ fatum in literas monumentaque retulerunt, præstat Illustriss. *Thuanus*. Hic, præterquàm, quòd universa ad cœtum emendatorum sacrorum pertinentia sine perturbatione aut commotione animi, nullo in partes studio, aut odio impulsus, recensuit ingenuè; quod mireris in homine, qui à nostræ religionis rationibus recessit longè: alia quoque annotavit momenta rerum temporumque, quæ contigere *Saxonum* terris, propter fœdus *Smalkaldicum*. Quin imò vix ille, cui *Witteberga* vitam dedit, tractum at-

que loci situm tam exploratum habet, quam accuratissimè descripsit i-
dem, ut legentem in rem præsentem adducere videatur. Non alienum
fit, ut dictis habeatur fides, ipsa adducere verba, quæ leguntur Part. I. L.
IV. ad Annum M.DC.XLVII. p. 188. Tom. I. Edit. Francof. Vitemberga,
præcipua septemviratus patrimonii urbs, spatioso camporum aquore,
quadringentis circiter à flumine passibus, sita est, loco & arte munitissima,
quippe altissimo aggere ab omni parte extra cincta est, ita ut interior ag-
ger, qui sexaginta pedes latus, & ex solida terra ac vivo cespite congestus,
muro lateritio clauditur, ex planicie, vel ab equite conspici nequeat, nul-
lo tumulo aut colle opposito, unde tormentis quati possit: media fossa la-
tissima & profundissima interjacet, aqua fluente scaturiens, tum murus
quinque propugnaculis prominentibus distinguitur: à natum verò non mi-
nus tuta est, lata palude à septentrione, ab Oriente Canali, ab Albi deriva-
to, eam cingente; Arcem insuper, qua angustior est, habet, tormentorum
numero & reliquarum ad bellum necessariorum rerum abundantia muni-
tissimam. Locum adeo firmum temere aggredi periculosum erat; & cetera.
His adducti facilè à nobis impetrare possumus, ut credamus, excellen-
tissimū historiæ superioris seculi conditorem ipsummet, vel per aliū, vi-
disse locum oculis, exquisivisse nihil non memoratu dignum, perspexis-
seque ac ad artis muniendi, pro conditione temporis, exegisse nor-
mam mensumque fuisse, luculentiore cognitionis Architecturæ milita-
ris exquisitæ argumentò. Cum eodem jungere licet *Langium*, qui æ-
tate illum antecessit longè, ac *Citizenium* res prodidit memoria, ordi-
natio, à solitaria vita appellato, adscriptus, homo non indoctus. Ab hoc
semel iterumque arx *pulcherrimum ac munitissimum vocatur castrum*.
Audiant talia, quæso, ac observent ii, qui munitiones has contemnere,
ac pro nihilo ducere consueverunt. Produnt scilicet artis ignoratio-
nem, quod malum turpeq; est, cum damno ac existimationis detrimen-
to haud levi non distinguentes temporum intervalla, aut varias commu-
tabilesve rerum rationes reputantes. Ceterum mirari in mentem ve-
nit, *Chyraum*, *Crantzium*, *Dresserum* & alios, qui *Saxonia* explicandi
historiam susceperunt partes, argumentum istud prætermisisse, neque
curam habuisse capitis, imò vix ægrèque expromisisse nomen. Contra
merentur laudes *Peccensteinii*, *Saxonici* Theatri autor, *Albinus* in pri-
mis in Chronico *Misnensi*; qui, fide dignissimus, præripuisset palmam,
certè fecisset dubiam omnibus, si loco quodlibet collocasset aptiori in-
terdum

terdum, nec perlustrantem sua, suspensum nempe expectatione uberioris commemorationis, opinione citius destitueret falleretve. Versabatur enim tum, cum ad scribendum appulisset animum, in tabulariis, copia facultasque ipsi permittebatur inspiciendi Codices & documenta, ut assumeret inde, quibus institutum suum præfulcire ac præmunire posset; ne ruinoso conjecturarum niteretur fundamento. Magnum is nobis adferet adjumentum, quando in investigatione ac indagatione nominis ac incolarum antiquissimorum ponemus singulariter operam. Perplacet denique *Ludovici Persona*, celebris JCTI, Oratio; ubi primordia urbis, pro ea, quâ valuit plurimum, ingenii solertiâ, altius repetiit, dijudicavit optimè, ac excussit; quamquam in locis aliis erroris convincatur. Ex uno itemque altero accersemus locum, qui huc spectat, dum fert animum, non tantum enarrare ex instituto, cui hoc vel illud munimenti genus, ex Ducibus ac Electoribus, per distinctos seculorum tractus, referatur acceptum; sed alia etiam, quæ interior & recondita artis hujus notitiâ suppeditat, & ad emendationem valent, in medium producemus.

II. Quis condiderit *Wittebergam*? quærere hic attinet nequaquam. Nostrum est, curare, ut firmis confirmetur argumentis id momenti, quis conditam muniverit primus ultimusve ex antiquis? Stabili autem & inoffenso progredi non licet pede, nisi prisca repetamus memoriâ, ac reflectamus oculorum aciem ad multa retrò secula. Enimverò præter jus ac fas præsentia neglexerunt majores, nec posteritati reliquerunt. Inde factum, ut oblitterentur oblivione notatu dignissima, quorum hodiè ne quidem vestigia animadverti queunt. Atque in obscuris, antiquis, non omnino nihil conjecturis tribui debet; modò sint similes veris, nec à fide nimium discordent. Extra dubitationem positum est, *Henricum*, cognomento præditum *Aucupis*, primum dedisse operam muniendis firmandisque urbibus. Ratio, non recondita, cernitur, estque in promptu. Sub *Conrado I.* qui suffragio *Ottonis*, Saxonie Ducis, magnum habente pondus, cum detrectasset ipsemet certis de causis amplissimum honorem, adjutus, Cæsar renuntiatus est, sub illo, inquam, graviter afflicta fuerat *Germania Hungarorum* incursionibus. Hi Orientalem *Franciam*, *Thuringiam*, *Saxoniamque*, miserandum in modum, ferro ignique devastarunt, usi in devictos feritate ac immanitate plus, quam dici potest, barbarâ. Quæ terminis circumscribi nequiverat potentia

entia longè lateque fusa; sed potius *Ludovici IV.* tempore maxima ir-
ruebant vi in *Austriam* atque *Bojariam*; denique, fuso fugatoque Impe-
ratoris exercitu, ac nobilitatis flore interfecto, vectigalem & tributari-
um fecerunt ipsum. Fortunam correxit successor, de quo paulò ante
diximus. Commendatus à *Conrado*, ad moderandas Imperii habenas,
Henricus, cunctis volentibus consentientibusve, summa rerum potitus,
tristem Germaniæ faciem ac statum mutavit planè. Legibus non
munivit solum, sed muris quoque circumdedit urbes, cum ante eum, si
discesseris à paucis, nullæ propè occurrerent, quæ impressionem
eò facientes restringere aut sustinere potuissent. Is primus curam
omnem fixit in amplificandis quoque & ornandis civitatibus, jura in-
trodixit laudabilia ac constituit, militem variis exercitationum generi-
bus erudiri curans. Adeò immortale Saxonum genti, unde ortus, decus
peperit. Adversus incursiones providit ac prospexit muris *Misnæ*, ut
primum esset claustrum *Ungariis*, ad Albim usque penetrantibus, oppo-
situm. Vid. *Bæclerus*, qui ex *Witichindo* ac *Sigeberto Gemblacensi* pro-
bat, urbes in Germania ab *Henrico* demùm cœptas muniri. Idem de
Conrado separatim agit, in Commentario de Cæsaribus Germ. Confer.
Albertus Kranzius Sax. L. III. c. potissimum XII. Non audiendi sunt, qui,
nescio quæ fingendi licentiâ, *Wittebergam* à *Wittekindo*, sive Magno, si-
ve secundo, (utrumque enim minùs conveniens,) exstructam perhibere
nihil verentur. Etenim sententiam tuentur nostram monumenta histo-
riarum, quæ sibi constant optimè. Seculis equidem IIX. & IX. arces ac
castella reperiuntur ædificata; attamen rudi *Minerva*, & speciem dunta-
taxat propugnaculorum habentia, non justam urbium formam. Inspici-
atur Dissertatio eruditissima Dn. *Schurzschleischii* de *Wittekindo Magno*
sub extremum, num. ultimo. Remanet igitur, seculo demùm IX. po-
stulante necessitate, insigni prudentis Cæsaribus argumento, usu primùm
venisse, ut urbes, sublata barbarie, muris ac fossis firmarentur, nec diri-
piendæ amplius, ac exurendæ relinquerentur hostibus; sed factum, ut à
corporibus suis propulsarent vim incolæ, ac jura legesque sartas tectas
præstarent. Crudelissimi enim *Hungari* solebant, quaquà Germania
patebat, hominum conjunctionem dissolvere, & quod sanctum erat,
aut religiosum, proculcare pedibus. Quin & latrocinia deterrimam ac
durissimam temporum conditionem exasperabant.

III. Verùm enim verò, quo tempore præcepta fuerit *Witteberga*,
muni-

Munitiōnibus? non liquet. Altius id ipsum repetendum censemus, ultra tamen seculum XII. non regressuri. Nimirum contemplanti moenia statim antiquitatis vestigia se offerunt, quæ omninò declarant, ante seculum XIV. (quo pulvis nitratus à Monacho quodam, *Bartholdo Swartzio*, cum instrumentis bellicis aliquibus inventus esse dicitur; quò anno? incertum) stetisse diu. *Peccensteinus* in Theatro Saxonico, urbem hanc esse ab *Alberto I. Rudolpho I. Wenceslao I. Rudolpho III.* communitam; murisque cinctam, scribit. Unde rei ejus argumenta peti debeant, nescimus; quamvis investigaverimus, nec quicquam reliqui fecerimus, quod ad inveniendum pertinere videbatur. Quantum tamen conjicere licet, probabile est, primum ex *Ascaniis* Principem Electorem *Bernhardum*, quippe qui sedem hinc collocavit, defensionis suscepisse curam, ne pateret volubilis fortunæ ictui, periculisque exponeretur domicilium. Sed hoc haud urgemus, dum scriptores silent, nec tamen res confici omnis conjecturis potest. Certiora in medium adferantur. Quod si rem ad verum exigamus, ac cum animo deliberemus, assentiamur necesse est *Peccensteinio*; qui, quantum assequi possumus, non id sine causa videtur affirmasse. Namque ingredientibus sacra olim *Franciscanorū* ædem, cui cœnobiū adhæret, circumferentibusque oculos apparebunt illic *Alberti II. Rudolphi I. Wenceslai I. Rudolphi III.* sepulcra; quamquam inscriptiones adeò, propter profanum usum, sint neglectæ, ut, nisi ab interitu vindicasset eas *Melanchthon* describendo, pedibus ultrò citroque euntium, congerendi eò ac comportandi exportandique frumenti causâ, (huic scilicet usui dedicabatur *Johannis Friderici* tempore, A. 1544.) jamdudum abolitæ legi hodiè non possent. Atque non dubium est, quin illi de familia *Ascaniorum* omnes, quoniam sepulturæ locum hunc elegerint, usitatam etiam tum, eamque antiquam muniendi rationem, ut demonstrabitur posthac, adhibuerint. Profectò, si nequicquā extaret scriptum hac de re, sufficeret hoc magni ponderis momentum, quod nihil dubitationis in nobis residere patitur. Conficitur inde, non fuisse corpora sua Principes, suarumque uxorum, commissuros urbi, quæ intuta nudaque hostium, si eam aliquando fortuna ferire velit, defendere atque protegere neutiquam valeret credita. In mentem jam venit recordari, dixisse nos supra, conspici haud dubiè hoc quoque tempore indicia antiquitatis; quæ, quantum facultatis res habitura videbitur, explicabimus. Ante de pomœrio breviter

expo.

exponendum est. Verbi vim solam intuens *Livius* noster postmoerium interpretatur. L. I. c. 44. notionem vocis aliis disceptandam relinquimus. Contenti sumus, indicasse, spatium, situm inter duplicem justo à se distantem invicem murum intervallo, esse certis descriptum regionibus definitumque. Ea scilicet explicatio adhuc valet. An verò *Witteberga* aggere fossaque olim circumdata, per totum oppidi circuitum, pomœrio tali fuerit gavisa? statuamus licet, cum hinc illinc spectentur rudera, quæ nos ambigere vix sinunt. Clarissimè autem patet acernitur à porta, nomine Arcis appellata, ad portam usque, quam ab *Elystro* vocant, porrectus ductusque murus interior, qui loco editiore conditus, ut prospectus inde in planiciem pateret. Sed & exterioris naturam considerare convenit. Rotundam videmus ostentare, oppidum figuram, tribus locis maximè conspicuis, quæ turris altitudinem non æquat; imò ne minimâ quidem ex parte superat, aut altius se effert extatque; sed muri, quo in fossam demissò prætenditur vallum, altitudini respondet exactè. At verò ille, vetustissimo more, sinuosè constructus est; quod subobscurè sinuosum nominat anfractum *Vegetius* L. IV. c. 2. p. 92. ex edit. *Stevvechii*. Planius id describit *Lipsius* in *Poliorecticis* L. III. Dial. V. non solum turres, ait, ex *Vegetii* verbis observes, prominuisse, sed ipsos muros sic insinuosè factos. Cur hoc adhibuerint? quamobrem rotunda usi fuerint figura in excitandis turribus & aliis muniendi generibus antiquiores architecti? sciendi cupidum ad *Ammianum Marcellinum* & *Vitruvium*, præter priores duos, delegamus. Addatur *H. Rivius*, qui hunc in vernaculam transtulit, ac singulari ingenii dexteritate interpretatus est. Conferatur etiam *Tacitus* de Hierosolymis. *Germani* exprimunt per vocem *Hondel*. Ne verò expers videatur hodieque utilitatis omnis, dicamus quod res est. Nimirum hostem signis appropinquantem infestis penetrantemve per fossam submovere propugnatores possunt, post murum vulnere intacti delitentes. Quamquam reliquæ figuræ omnes tales successu temporis prostratæ in ruinis jacent. In transitu notemus, licet cum muri parte dirutus sit passim sinus, retinuisse tamen nomen illud, quod ipsius loco inædificatum opus aut moles. Ceteroquin usus exolevit ejus omnis, postquam nitratus pulvis atque alia tormenta machinæque seculo, quod antea significavimus, XIV. inventa fuere.

IV. Justo videbimur longiores in commemorandis fuisse munitio-
nibus

nibus *Witteberga* nostræ, quæ citra dubitationem spernentur, atque risu
judicabuntur dignæ à nonnullis, nosque incurrisse reprehensionem di-
cemur. Verùm præmonuimus in principio Dissertationis, nobis quoque
curæ esse oportere, ut, qui res ab incunabilis Patriæ, prout integrum est,
repetere constituimus, tradamus pari industria, justoque temporum or-
dine tenuiora initia perscrutemur. Nunc ad potiora venientes
non inficias imus, nec pœnitet dixisse, Illustrè *Tbuanum* vivis quasi co-
loribus depinxisse hoc castrum, ut labore non futili superfedere possi-
mus. Cum loci enim situsque ac tractus natura congruit planè, quod
supra relatam ex eo legitur. Intueatur quispiam, quæso, ac oculis lustret
intentioribus, indolem ejus conditionemque; inveniet facili negotio rem
quæsitam. Nisi quod propugnaculorum (*derer Bollwercke*) no-
men, quorum quinque prominere memorat, in laxiorem partem acce-
pit, & intellectum voluit. Nec mirum, cum superiori seculo, nondum
satis perspecta bellicorum instrumentorum potestate incredibili, aliter
atque aliter, pro optima cujusque inveniendi solertia, ac, prout alter,
alterum scientia & usu antecessit, molem istam terream prominentem
affecerunt ac constituerunt. Præcipuè, dum antiquæ urbes munitæ,
jam ad sustinendam machinarum vim, emendatione maximè egebant.
Pomœria, si qua essent, ipsosque sinuosos murorum anfractus (*Zwin-
ger und Rondele*) aggere, superiori dissimillimo, explere necessitas im-
perabat. Una itemque altera hîc oculis se moles subjicit talis, exquisi-
tissimæ hodiernæ muniendi rationis expertis, rudis & propè indigesta;
ubi scilicet in rotundam muri formam congesta ac coacervata terra ex
suetis propugnaculi accurati regulis æstimari nequit. Ejus si quærat
ratio? intempestivæ studium parsimonix in vitio est. Magistri insuper
artis longè nobilissimæ fortassis ad compendiarium ingrediendam viam
autores principesque extiterunt; de quo in sequentibus. Animum
induximus, primo ante oculos id collocare locò ac designare, ad quod
digitum intendit laude major Historicus, maximâ dignitate apud suos
præfulgens enitensque; vestigiis instituri ejus haud fallentibus. Enim-
verò nondum nostris satisfacimus partibus, cum acquiescere in antiquis
dedecet; sed sensim ad recentiora, quæ in *Tbuan* memoriam incide-
bant, deveniendum esse arbitramur. Factum jam commentandi ini-
tium, id quod persequemur cœptum. Postea, quæ, vel ab ipso omissa,
vel nondum visa, eo temporis tractu, bona fide, ac arti muniendi (*Ing-
genieur-Kunst*) commemorabimus convenienter. Laudatur agger,
ideò

ideo altissimus, quod interior sexaginta pedes latus, (haud æquali ubique spatio,) ex planicie, vel ab equite, conspici nequeat. His omnino loricam (*Brust-wehr*) vallo innuit attextam. Occasionem dimittere nolumus datam differendi breviter de valli altitudine, utrum prosit? an obsit? Pervulgatus pervagatusque error est imperitæ multitudinis: exigua valli altitudo non tegit ædificia; ergo nullo loco & numero habeatur munimentum. Imò suomet ipsarum periculo multæ didicerunt urbes, ad inutiles Belgarum leges munitæ, serò tamen, sapere. Habemus suffragatores rerum usu peritissimos *Neubauerum, Scheitrum, Rimplerum*; quorum opera in defendendo obsidendoque magnifacuta semper est. Si terra solida vivusque cespes suppetat, decem minime pedes excedat valli altitudo; si fluxa ac arenosa, duodecim, ceteris paribus, sufficiant; quod cum pace *Vaubani, Comitum Pagani, Malleti, aliorumque Gallorum*, dixerimus. De latitudine valli ac lorica dicere institutum prohibet. Plura hanc in rem proferentur tum, quum sumus de pugnantibus muniendi magistrorum inter se sententiis acturi. Caveatur autem, ne depressum contra plus justo sit, ut, quid intra rerum agatur, observari possit ab equite. Quamvis necessitate coacti fateamur, locis nonnullis altiorem vero rectoque aggerem reperiri.

V. Pergit in laudibus numerare noster, quod tumulum aut collem nullum objecerit natura, unde tormentis quati possit. Qui sic verum maxime perspicit, & acutissime explicat rationem: is prudentissimus ac sapientissimus rite haberi solet. Confirmant verba ultima, scientissimum fuisse architecturæ militaris multis excellentem nominibus Virum. Ei contradicere quis, ac erroris redarguere ausit, mentem parum assecutus; quasi verò planè nullos aut tumulos, aut colles opponi putaret, veritati que sic vim inferret. Sugillet alius sententiam præclaram, hospes scilicet in hac doctrinæ parte ac peregrinus, contendens, montes propinquos, vineis confitos, nocere urbi posse, si exstrueret hostis ibi suggestus (*Batterien*) ac, tormentis æneis majoribus impositis, illam verberaret. Responsio ad utrumque in promptu est. Non adeò negat, adesse collem tumulumque; negat contra, tantopere haud imminere, longius remotos, ut hinc impendere debeat judicari periculum; nisi quòd belli tempore timendum sit, ne ædes immixtis igneis prosternantur globis ac deflagrent. Non possumus igitur non mirari, cur propugnaculo imposuerint equitem? (*Cavalier* seu *Rat.*) Ceterum moles hæc, seu massa, incubans & premens talis, quid damni sapere det, alibi docetur. Inde quaestio eme-

git,

git: an propugnaculi genus, quod nuncupatur Germanicè Massiv-*Bolle*
werck/alteri, scilicet cavo, ac vacuo pondere tanto, (*Dem holen*/) sit præpo-
nendum? negantem amplectimur sententiam. Accuratè etiam exponi-
tur, quòd lata & profunda fossa sit, quâ *Witteberga* cingitur, sicca hinc,
illinc plena aquis, fluente scaturiens. Occurrit insuper fossula,
in majori excisa, quæ inde à porta, Albi proximè præter-
fluentis nomen ferente, usque ad *Elystri* ferè perducitur. Gallis dicitur
Cunette, atque insignem valdè utilitatem præbet. Ejus momentum est
palmarium, quòd, cuniculis actis, (*sapieren*) clam suffodientes fossam pro-
dat, ac facientes opus indicet, conatusque penetrandi ad vallum, & pul-
veris pyrii ope subruendi partem evertendique, non impedit solum, sed
etiam infringat & eludat. Pedes etenim aliquot profunda lataque sit,
pro loci conditione, oportet. Hoc sanè ipsum commodum movit, quan-
tum nobis constat, omnes, ut uno ore laudarent atque acciperent. Istud
igitur non in postrema munitiois parte ponitur. Denique subnectit ca-
nalem ab Albi derivatum, qui urbem cingit; sed per angustis coercetur
ripis. De Albi, quantò ab urbe intervallo absit, principio statim admo-
nuit *Tbuanus*, scripsitque, quadringentis circiter distare passibus. Nostrà
tamen memorià manavit latius flumen, & crescendo sæpè terminos
transgressus inundavit ad eò terram, ac propius propiusque moenibus acces-
sit: speciatim ad *Elystri* portam deflexit. Atque ingentem à nobis iniit
gratiam scriptor, non sine admiratione dicendus, propterea, quòd, uti
demonstratum est, nihil, ad decus dignitatemque *Witteberga* ab obliuio-
ne vindicandam pertinens, intactum reliquit. Hæc ipsa ævi sui in *Saxo-*
nia princeps, & adversus impressionem quamvis tutissima, *Caroli V.* præ-
sertim victoriæ, quæ est ad *Mülbergam* potitus, cursum inhibere fructum-
que triumphii i.e. gloriam ac famam, inde partam, corrumpere audebat, ne-
cessariis pariter rebus optimè instructa Patria. Ne nunc quidem carere
satis commodè licet locupletissimo autore nostro, qui & hîc implevit men-
suram scriptoris ingenui, libero erectoque versantis animo in componen-
da historia. Fatetur enim L.II. ad Ann. M.D. XLVII. Cæsarem, præsidiiis
Dresenâ, *Lipsia* & *Zwiccavia* evocatis, secundo lumine, tormenta septem
& decem majora subvehi jussisse, Mauritiumque quinque & decem millia
fossorum ad obsidionem promississe, sine effectu. Ceterum dixisse fertur
Germanicè, nisi capta avis esset, nidus in manus nostras potestatemque vix
venisset, cui tamè æterna urbs uno impetu cessit, Duce *Borbonio*. idem ad A.
M.D. XXVII. Tempestate ea millibus tribus amplius præsidio erant fortissi-

morum militum, qui decus, pro se quisque, defensionis urbis expeturi videbantur, desperatis quamvis conclamatisve rebus suis. Sed soluti jurisjurandi vinculis primores se dederunt. Justa ordinis ratio requirit, ut enarremus, quanta tamen brevitate fieri potest, quis videlicet primis jactis fundamentis addiderit nova munitionum genera? & quare rei ejus cura fuerit suscepta? *Jobannes ille Fridericus* Princeps El. est in primis nominandus, ob foedus Smalkaldicum, quod Caesari in vitium odiosumque erat, cum in injuriam ad se pertinentem, labefactandae nempe majestatis causa, factum interpretaretur. Hoc ulcisci studebat ille, non ignorante *Friderico*, qui pro aris & focis pugnare ne utique recusabat: *Carolus* immodica postulante praesenti animo repellens, nihil admisit, quod timorem arguere posset, in propositoque consilio servavit constantiam ac singulare idcirco cognomen accepit tuitusque est.

VI. *Witteberga* suae periculum Princeps, quod re deinde vera evenit, praecipit cogitatione futurum, & ad obsidionem fortiter perferendam, necessarias res preparavit, fossis, vallo, murisque firmare An. M. D. XLII. aggressus est. Ad hoc, ne urbis termini finesque longius constitutum ac prolati damno essent, sacrae *Augustini* aedem cum aedificiis pluribus, quae erant ad portam Elystri sita, destrui, lapides simul ex facellis aliis transferri huc jussit, ut esset, ex quo novi construerentur muri, isve productum nimis ante spatium urbis, ortum versus, jamque contractum concluderetur. Praecipue vallum amplius factum ad caenobium Augustinianorum, quod significat Lutherus in colloquiis super coenam habitis, Cap. XXXIX. f. 251. edit. Jen. Anno 1591. In transitu docere satis sit, ibi vehementer in Aulicos invehi animosum virum, offensas despicientem plane ridentemque, quod superbi ac vecordes sint, persuasuri Electori, ut filium literis imbui prohiberet. Quin & veretur, ne, procedente tempore, Museum aliquando suum, propter munitionem, diruendum foret. In contrarias sane hic sententias distrahimur, dum *Paul. Langius*, Monachus, & *Ludovicus Persona*, ancipitem nobis cogitandi curam adferunt; quod uterque, alter in oratione disertè, alter in Chronico *Citizensi*, p. 854. & 878. à *Friderico* habere robur suam munitionem, omnesque inde ducendas rationes tradunt, non ornatae solum aedibus novis ac splendidissimo Arci innexo Templo, sed praecclare quoque munitae *Witteberga*. Hic est ille *Fridericus* septemvir, qui sapientis elogio inter suos commendatus est, ut *Tibullus* scribit, L. I. Hist. Is in Albi pontem fecit sublicium, ac sedem domiciliumque Musarum primum hic esse voluit, & alia

& alia egit memoratu digna. Quotquot alioquin ex iis evolvimus, qui Principis hujus vitam persecuti sunt, cuncti pacis tam amantem eum vocant, ut vitio ipsi verteretur, quod tantopere à muniendis abhorreret locis, causatus, ne sic quidem se tueri posse satis: studio pacis noctura declinare velle; imò castella solere animos efferre. Quantum conjecturâ licet assequi, *Persona* illud de Patria, quod prædictum, ex *Langio* depromsisse putandus est, cum tantum absit, ut idem contineant historiæ monumenta probentur, ut potius repugnent universa, quemadmodum monitum antè fuit. Monachi autem verba explicanda tantum sunt de Arce, quam castrum vocat pulcherrimum munitissimumque. Istam splendide, & ut tum tempora ferebant, magnificè instauravit *Fridericus*, turribus ac pergulis adjectis. Ex quibus efficitur, in possessionem laudis, de *Vuteberga* egregiè firmata, venire septemvirum constantem: non tamen prorsus exclusis iis, qui eum antecesserunt; præcipuè, cum mortuo *Alberto III.* Ascaniorum ultimo, Marchio Misnensis, *Fridericus I.* Bellicosi cognomine insignis, in Electorum cooptaretur ordinem. Nulli dubitamus, quin singuli aliquid, memoriæ licet non sit proditum, mutando, demendo, adjiciendo, præstiterint. Maximò autem studio perfecit id, quod ad defensionem necessarium videbatur *Job. Fridericus*. Atque expectationi omninò fecisset satis, si vi oppugnare urbem placuisset. Restat, ut enarremus porrò ea, quæ aut à *Tibiano* sunt prætermissa, aut tempestate illa nondum extiterunt. Urbem interfluunt mediam torrentes duo; hi, pro diversa natura, varia quoque sortiuntur nomina; alter, cujus cursus tardissimus, ut vix sentias fluere, locum nomini fecit, ut nuncupetur *die saule Bach*; alter, qui concitator est, lenis tamen ac placidus, dicitur *die frische Bach*: conjunguntur tandem, ac simul mœnia subeuntes extra munimenta se evolvunt, jamque majore vi ac mole agentes undas in *Albim* tandem, quæ Occasum spectat, evadunt. Unde autem ortum trahant torrentes isti? nos non expediemus, contenti, viam indicasse, quæ à septentrione, meridiem versus, lapsum inflectentes, per mediam planè, quousque patet in longitudine urbs, instituit ac tenent. Deinde non præterire fas est, fossæ passim latus lapide munitum, quod in campum vergit, adversus alluentis aquæ vim. Technicorum inde lingua ac more vocatur *ein gesutterter Graben*.

VII. Annus circiter sæculi hujus fuit septuagesimus secundus, quo in *Belgio* tantopere in pretio esse ac florere cœpit, ut ad summum perducta tum putaretur fastigiata ars muniendi, ab Italis ac Hispanis inchoata & exculta.

ta. Nullus in cultiore orbis terrarum parte locus occurrit, nulla urbs, quin leges sibi à *Belgia* imponi passa fuerit, ac observaverit. Peregrina, omittentes domesticum adspicimus *VVitteberge* exemplum. Instituit olim validioribus munimenti generibus consulere patriæ, eamque circumdare, conatu majori, quam effectu, *Schwalbachius*, vir militaris & dignitatis & scientiæ laude celebratus, cui custodia castri commissa erat, uti accepimus. Ad *Elystri* portam idem succinctu inferiore (faussebraye,) pro temporis ratione, auxit vallum abundè altum & instruxit; qui duobus propugnaculis integris, & dimidio uno constat, fallitq; primo conspectu, dum speciem operis *coronati* (*Kronwerck*) præ se fert, lapidibus vestitus, ac probè coagmentatis extrorsus revinctus. (*Gefütterte-Mauer*) Quid de eo sit judicandum, reticemus data opera; aliis liberum statuendi jus permittentes. Agger seu lorica cernitur in propugnaculis transversa, (*travers*) non sanè præter rationem, ne scilicet hostis defensorum, in ambulatione valli (*Wallgang*) consistentium, latus aut dorsum ferire queat. Porta ipsa hæc, quemadmodum Arcis, per chordam (*Cortine*) patet. Ceterum displicet nobis Gallorum sententia, qui ambitum totius valli succinctu inferiore ne utiqvam muniendum ducunt; sed chordæ tantum adjiciunt aliud quid, ne attextentes quidem id ipsum: verum, intermisso levi spatio, jungunt ponticulo; quod à nostro maxime recedit, ac nomine *forcipis* (*tenaille*, sive *Schære*) explicant. Quamquam & hoc non heri aut nudius tertius excogitatum est; jamdiu enim utilitate aliqua se commendavit approbavitque Gallis; ut in usum jam venerit figura ista, quæ omninò variat, & si composita ex alis (flancqes,) duabus, ac faciebus, (*Gesicht-Linien*) ad similitudinem nostri propius accedit. Vid. *Nouvelle Maniere de Mr. Vauban* pag. 107. ubi simplex potior longè censetur. conf. pag. 109. Causas, quibus nituntur, excutere non yacat, nec propter festinationem, nostras apponere licet. Vid. *Malletus*, qui incommoda refert p. 106. Part. II. in libro, de Architectura militari nova, nitidissimis pleno schematibus, ac ævi sui plurimorum muniendi magistrorum opiniones complexo. In vernaculam anxio quodam verborum delectu ac apparatu affectatæ profectò elegantia translatus à *Phitippo de Zesen* legitur. Illis, & Baroni *Russensteinio* opponimus *Rimplerum* ac *Neubauerum*, agendis in rebus exercitatos viros. Hic passim contra *Gallos Germanorum* gloriam bellandi fortiter asseruit & vindicavit. Progrediemur ad moles duas, (*Raveline*) quæ, septentrionem versùs, confitos vineis colles respiciunt, à generis nobilitate præstanti *Arnheimio*, *Job. Georg. I.* tempore, conditæ. Vidit nempe, cum longius

longius distent propugnacula, defendendiqve sic ratio impediatur, difficultatem his tolli. Illis quid desit, dicere non attinet. *Kufferus* etiam, Præfatus olim urbis præsidio. laude meretur affici, quòd maximam partem via coperta (Chemin couvert, seu *bedeckter Weg*) firmaverit, fossamq; sepserit, ab Albis portam inita circuitus ratione, usque ad torrentem, qui supra *Die faule Bach* dictus; quoniam propè immotus fluere videtur, ac sub vallum murumqve labens urbem influit. Hic reperiuntur spatia cohortibus capiendis apta, (places d'armes, factaqve illa aliter atqve aliter se habent, ut figuram mentiantur, duobus præcipuè locis, lunæ dimidiatæ, (*halben Mondes*) quandoquidem fossa destituuntur. Hæc non temere à nobis rejicitur; quin damnum potius, quàm commodum adferat tantum abest, ut ambigatur, ut concordibus suffragiis explodant ad *Belgarum* leges compositam peritiores.

VIII. Loricam, quæ fossarum ripam extremam circumvenit, extrorsum leniter declivem (*Esplanade*, seu *glacis*), ad tutelam jaculatorum, haud absurdè inter ea referimus, quæ, nemine ferè contradicente aut adversante, approbationem movere. Hoc tanti est, ut affirmare ausim, urbem operibus licet generis omnis validissimam, via ista si careat, mancam debilemqve, hosti, accessibus in terra effossis appropinquanti, resistere non posse. In notissimarum versetur ignoratione rerum oportet illum, qui nesciat, dejectis propugnatoribus depulsisq; si oppugnatori post cruentam maximè dimicationem, perveniendi eò potestas facta, ac firmum ponendi pedem, de urbe actum, deditioisqve conditiones paciscendo saluti consulendum civium. *Neubaueri* in mentem nunc venit recordari, de quo in transcurso admonebimus. Hoc ille reprehendit suo quodam jure, quòd hodiè in consuetudine ferè abiit, ut, expugnata via operta, castellum, strage nullâ propugnaculorum facta, se dedat turpiter. Namq; incidit tum demum tempus, quo artis nobilissimæ gnarus, quid efficere possit, experiatur, muniendo ac obmoliendo, quæ ruinis strata sunt; ne impetus per murorum casus fiat. Interiora munimenta objiciat: (*abschnitte machen*) disjecta ac vastata reficiat: craticulis atqve aggere fossam explere ac viam munire, per cuniculos vineasq; (*Gallerie*) prohibeat; & quæ alia muneris rectè administrandi partes requirunt, non omissis suffossionibus contrariis. (*contra-miniren*.) Vid. scriptores hac de re. Huic adjicit *Scheiterus* aliam. Quod alibi docebitur. Benè itaqve fecit *Kufferus* noster, quòd ita circumsepserit fossam, prudentissimiq; custodis ac rectoris specimen dedit. Ceterum dolendum est, quòd non iusta prædita est latitudine, sed in angustum cogitur valdè. E contrario

M U T M A T

frario in laude ponitur, non directam eandem esse perpetuam in longitu-
dinem; verum ferræ formam ostendere locis nonnullis. Id Galli vocant
redans, faciliusque monstrari digito, quam verbis exponi potest. Justo re-
rum ordine sequitur, ut moles ista, quæ viam, dextram per faciem, portæ
munit aperitque, ad Albim ferentem ac ducentem mœnibus exeuntes, pro
eo ac decet, ante oculos statueretur. At vero docuisse sufficiat, exstructam,
esse pluribus ante annis à Protribuno (Capitain Lieutenant,) *Hornio*. Re-
stat margo; (*Bärme*) qui propugnaculum, occasum spectans, ab angulo a-
cuto adeptum nomen, (*Scharf. eccl*) ambiens, teneris fruticibus, incisis at-
que inflexis, crebrisque rubis ac sentibus incredibile munimentum ac singu-
larem prorsus utilitatem ad excipiendam terram labefactatam casu, præbet.
Nil quicquam dictum commemoratumve de castellis, (*Schangen*) meridi-
em versùs, citeriori ac ulteriori Albi, propius præterfluentis urbem, ripis
adjectis, ut pontem supra dictum fuerentur, ac transire cupientes arcerent.
Utrumque cingitur fossa. Alteri, quæ in urbem vergit, forma est *cornuti o-*
peris; (*horn. werck*) alterum duo integra propugnacula, ac totidem dimidia,
conspicienda offert. Nihil allatum de locis occultis ad tentandam eruptio-
nem idoneis, aliisque. At enim verò plura persequi tum Dissertationis ma-
gnitudo, tum festinatio prohibet. Latiorẽ fortasse justo evagandi viam
sibi fecit sermo, proponendis *Vittebergæ* munitionibus destinatus, ad a-
lia delapsus in iisque aliquantisper moratus; videlicet, quò tædium leniatur,
appareatque simul illud, cuius in posterum maxima erit observatio. Haud enim du-
bitamus, quin primæ origines proximaque originibus, minus præbuerint voluptatis
festinantibus ad nova talia. In posteriore lucubratione dabimus id operam, ut adfe-
rantur, quæ potissimum saluti consulunt Urbis nostræ, additis causis gravioris o-
mnino ponderis, cur, aliis posthabitis, ejus habeatur ratio. Videmus nempe,
laborare munitionem Polygonis interioribus (*polygons interieurs*), usque quaque lon-
gissimis. Hæc quantum sint fugienda ac vitanda, norunt isti, qui præclaram hanc
artem perspectam habent. In subsequens quoque Matheseos argumentum rejicimus
istud, nimirum quid prædictionis præsentationisve spectatores cœli ac siderum dili-
gentes, animi causâ, cum aperiretur hic Musis domicilium, superiore seculo, capes-
siverint ac annotaverint? alia simul instituto nostro propiora & con-
junctiora tradituri. Dum in eo sumus, ut finem scribendi faciamus, perexiguus in
manus liber venit à *Ludovico Avila*, Hispano, conscriptus, de bello Germanico, à *Ca-*
rolo V. bene feliciterque gesto, cui citra dubitationem ipsemet interfuit. Hujus, æta-
te sua, Hispanicè, Latinè, Italicè, Gallicè in lucem emissi meminit *Sleidanus* L. XXI.
ad An. 1548. conf. L. XXXIV. ad A. 1552. Hæc, quæ ibi relata leguntur, cum *Thuani* verbis
amicissimè conspirant fidemque faciunt, imò persuadent tantum non, consuluisse au-
torem illum ac nonnulla inde mutuatum fuisse; exceptis paucis, quæ iisdem, supra in
medium allatis, non continentur; exempli causâ, quòd in muniendo castro quinque
ac viginti annos, perpetuo diligentiz summæ tenore, consumserit

Fridericus. Vid. L. II.

T A N T U M.



VV

DISS

M. GE

ERNE

Ad

Ex FOR

4 5
RGA

TICA,

ELMUS
S,

IANUS
S,

XCVI.

ACAD. TYP.

